





1790, 1  
DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**TESTIBVS AMICIS**

QVAM  
CONSENSV ET AVCTORITATE  
MAGNIFICI IVRISCONSULTORVM ORDINIS  
PRO SVMMIS IN IVRE HONORIBVS

LEGITIME OBTINENDIS

DIE XX IANUAI CCCCCCLXXX

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SUBIICIT

IOANNES CHRISTIANVS BENIAMIN  
KVNZE

EX REGIONE VARISCORVM.

ALTORFII

TYPIS IOANNIS PAVLLI MEYER,  
ACADEMIAE TYPOGRAPHI,

24

257

DILEXITATIS IN MAGISTERIIS IURIDICIS  
TESTIBVS AMICIS

CONFERMA ET VICTORIATE  
MAGISTRALIAE CONSERVATORIUM DINI  
PRO SUMmis IN IURE HONORIBVS

LETHIMVS OCTINNIPS

1555. MARCH. 15. 1555.

PASTORIC. ERADICATORVM EXAMINIT

SCOTTIC.

JOANNEZ CHRISTIANVS BEMMAMIN

MUNICIPI

EX AGRICOLA AVANTISSIMUM

ALTOVN

COLLEGVS JOANNEZ BEMMAMIN  
PRAEFECTVS TESTIBVS

SACRI ROMANI IMPERII  
LIBERAЕ AC PERILLVSTRIS  
REIPVBЛИCAE  
NORIMBERGENSIS  
SENATVI  
SPLENDIDISSIMO  
PERILLVSTRBVS GENEROSISSIMISQUE  
DOMINIS DOMINIS  
DVVM VIRIS  
TRIVM VIRIS  
SEPTEM VIRIS  
CONSVLIBVS  
SENATORIBVS  
MAECENATIBVS ATQVE PATRONIS  
AETERNAE PIETATIS CVLTV  
DEVENERANDIS

SUPREMI NVMINIS  
IN REPUBLICA GERENDA AVXILIVM  
FELICISSIMOS CONSILIORVM PRUDENTISSIMORVM  
SVCESSVS  
INCOLVMITATEM INCONCVSSAM  
ET  
VITAM LONGISSIMAM  
FAMILIARVM SPLENDIDISSIMARVM  
SALVTEM ET FLOREM PERENNEM  
ET  
QVAEVIS BONA EXOPTATISSIMA  
PIA MENTE APPRECATVRVS  
HOC QVALECVNQUE STVDIORVM SPECIMEN  
EA QVA PAR EST OBSERVANTIA  
D. D. D.  
TANTORVM  
TAMQUE PERILLVSTRIVM  
NOMINVM  
CYLTOR DEVOTISSIMVS  
CARTA  
AEETER  
DE/ AVCTOR.



DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA

DE

TESTIBVS AMICIS.

PRO O E M I V M .

**I**nter media probandi, quae tam ad probationem artificialiem quam inartificialiem perficiendam adhiberi possunt, frequensimum est probatio per testes, cum non tantum multa negotia in causis tam civilibus quam criminalibus occurrant, in quibus nullus instrumentorum aliorumque veritatem eruendi mediorum usus esse potest, sed et haud raro contingere soleat, ut instrumentorum vim probandi elidere conetur alteru-

A 3

ter

cupen

ter litigantium, contra quem illa in subsidium sunt vocata, per testium depositiones. Hinc non dubius haesit inter materias usu fori frequentatas hanc doctrinam prae ceteris per tractatione esse dignam, neque eam neglexisse ICtos testantur plura scripta maiora et minora eam explicantia. Ex universa hac doctrina placet Speciminis inauguralis loco proponere locum de testibus amicis interpretum opinionibus haud parum vexatum. Quantus dissensus circa testimonium amici inter Doctores iuris obtineat, appareat ex PROSPERO FARINACIO<sup>a)</sup>, qui sex diversas opiniones de hac re recenset. Attamen tam extra iudicium, quam in disceptatione causae litigiosae saepius utendum est testibus amicis, quorum fides ab adversario impugnatur. In tanta opinionum varietate disquisitionem novam de hoc testium genere utilissimam et disputationi publicae apprime congruam esse censui, quam pro virium modulo hic exhibeo, ut viris peritioribus in arte legitima ansa praebetur tractatione magis solida, quam haec mea est opella, hanc doctrinam illustrandi. Nolui tamen in hoc libello disceptare de eo quod iustum est circa testem amicum in aliis causis quam civilibus.

<sup>a)</sup> in Tr. de testibus T. VI, quæst. LV, inspeçt. V.

### §. II.

#### DE ARBITRIO IUDICIS IN FIDE TESTIVM AESTIMANDA.

In aestimanda fide testibus eorumque dictis tribuenda arbitrii iudicis magna vis esse debet, cum leges tam prolixæ neque

neque scriptae sint, neque scribi possint, ut iis universa de probabilitatis regulis doctrina penitus exhauriatur. Et recte ab HOMMELIO<sup>a)</sup> observatum est in pluralitate regularum collisionem non posse evitari, hanc vero innumerablem exceptionum matrem esse. Sed vereor, ne arbitrium iudicis nimis extendant, qui iudicem in dubiis super testimonia fide quæstionibus aequitatem magis quam leges ante oculos habere debere affirmant<sup>b)</sup>, neque reprehensionem mereantur, qui arbitrium iudicis parum adstringunt legibus. Leges ipsae non sunt negligendæ, neque aequitatem cerebrinam captare iudicem decet, cuius arbitrium tantum versari debet circa reclamam regularum legalium applicationem, quibus habilitatem testimonia et qualitates depositionum respicere iubetur iudex.

a) in Rhapsod. quæst. forens. Obs. 210.

b) Vetus LEYSER Sp. 283, Med. 27.

### §. III.

#### QVINAM TESTIS DICATVR HABILIS, INHABILIS ET SVSPECTVS.

Testes habiles dicuntur personæ ad fidem de facto per dicta eorum faciendam idoneæ, quæ neque natura, neque legibus testes esse prohibentur. In hunc censum referri possunt non nisi illi, qui non tantum sufficienti facti cognitione sunt instruti, sed etiam veritatem dicere velle præsumuntur. Ex alterutro defectu oritur inhabilitas testis, quæ illum reddit minus idoneum vel in omni plane causa vel secundum quid.

quid. Ab his testibus inhabilibus separandi sunt testes suspecti, qui salva exceptione admitti possunt, et ubi postea iudicis arbitrio committitur, quousque fides illis sit tribuenda <sup>a)</sup>.

a) GEO. LVD. BOEHMER in princ. Iur. Can. Lib. IV. P. I. Sec. III.  
Tit. XII. §. 785.

#### §. IV.

##### QVIS NAM SIT TESTIS AMICVS.

Testis amicus is dicitur, qui illi, a quo in testimonium vocatur, singulari amicitiae nexu est iunctus, vi cuius hunc prae ceteris diligere praesumitur. In diuidicanda fide testi amico tribuenda suppono personam, cui nullae aliae obstant exceptions, quae vel a testimonio dicendo illam arcere, vel eius fidem minuere possunt. Loquor de teste amico qua tali nullo respectu habitu aliorum defectuum, qui fidei eius aliquid detrahere possunt.

#### §. V.

##### AN TESTIS AMICVS SIT INHABILIS.

Si quaeritur, quatenus persona quaedam sit idonea ad fidem facti faciendam, dispiciendum est primo, an ipsa non laboret inhabilitate, adeo ut a testimonio dicendo plane sit repellenda; deinde an admitti quidem possit, dictis tamen eius non omnis fides sit tribuenda. Amico qua tali non obstat inhabilitas absoluta, ut in universum prohibetur testis esse, et in causa nulla ad fidem faciendam adhiberi possit. Res igitur reddit

redit ad inhabilitatem secundum quid tales. Hanc vero ne  
quidem ex sola amicitia oriri certum est <sup>a)</sup> , cum legibus id  
non sancitum sit , quibus causae inhabilitatis potissimum regi  
debent.

<sup>a)</sup> HOMMEL in Rhaps. quest. for. Obs. 211, contentit ita statuens: Ami-  
citas et familiaritas singularis cum eo, pro quo testimonium dici de-  
bet, testem non repellit.

### S. VI.

#### AMICITIA SOLA A TESTIMONIO REGULARITER NON EXCLUDIT.

Opinio eorum , qui ob solam amicitiam neminem a te-  
stimonio excludendum esse statuunt , non suis destituitur ra-  
tionibus. In teste desideratur scientia rei, de qua depositio  
exigitur , et sinceritas. Quod ad scientiam attinet , amicus  
pluribus aliis erit praeserendus , cum ex consuetudine , quae ipsi  
cum litigantium altero intercedit , hucus statum , conditionem ,  
affectus , mores , consilia atque facta plenius nosse praesumitur ,  
quam testis , qui non est amicus. Quodsi autem idem  
amicus simul sit vir bonus , et amicitia , quam colit , sit veri  
nominis talis , non metuendum est illum quicquam perpetratu-  
rum , nisi quod bonum et aequum est. Vera enim amicitia  
virtute atque probitate nititur <sup>b)</sup> , propter quam nemo a tes-  
timonio potest repelliri. Inter malos vero nulla amicitia vera  
esse potest <sup>b)</sup> , sed consortium illicitum , quod amicitiae spe-  
ciem prae se fert , et per abusum sermonis sancto amicitiae  
nomine insignitur , etiam si vinculum , cuius finis minime

B

est



est alterius perfectiones veras augere, sed in quavis re alterius commodis inservire, malae eiusdem causae favere, et in pessima quaevis consipirare<sup>c)</sup>. Ex qualitate igitur personarum et reliquis circumstantiis iudici erit dispiciendum, cuius generis sit amicitia, quae producenti cum teste intercedit. Et si in ambiguo foret, testi amico esse credendum, tamen non ideo plane excludi, sed admitti potius deberet, relatio iudici arbitrio, quid dictis eius tribuendum sit: in dubio enim testis potius admittendus, quam excludendus, postea quid fidei habeat, examinari debet.

a) Prima amicitiae lex est, ne quid rogemus turpe neve rogati faciamus. CICERO de amicitia c. 12.

b) CICERO de amicitia, c. 5. Hoc primum sentio, nisi in bonis amicitiam esse non posse.

c) Idem c. 11. Nulla est excusatio peccati, si amici causa peccaveris: nam, cum conciliatrix amicitiae, virtus opinio fuerit, difficile est amicitiam manere, si a virtute defeceris.

### §. VII.

#### DILVNTVR DUBITATIONES CONTRA ADMIS- SIONEM TESTIS AMICI.

Non desunt doctores, qui amicum a testimonio plane repellendum esse volunt, et robur opinioni suae addi credunt in l. 3. pr. D. de testibus, qua inimicitia et amicitia inter se aquiparantur, dum ICTUS ait: in persona testimoni explorandum esse, an inimicus ei sit, adversus quem testimonium fert, vel amicus ei sit, pro quo testimonium dat. Sed ipse hic textus non prorsus excludit testem amicum, iudicis autem arbitrio relin-

relinquit definire, an propter amicitiam suspectus dici possit iuxta qualitatem personae et causae. Examinabit igitur iudex, an suspicio corruptionis in hoc teste adsit, et si nullam inesse deprehendat, ei fidem adhibebit.

Eodem fere modo responderi potest ad dubium ex constitutione Imperatorum Diocletiani et Maximiani<sup>a)</sup> depromtum, quae iubet eos testes ad veritatem iuvandam adhibendos esse, qui omni gratiae et potentatui fidem religioni iudicariae (i. e. iuriurando) debitam possint praeponere. Quod cum a teste amico fieri possit, ille minime erit removendus, nisi pateat praeter amicitiam alias obesse circumstantias, quae illum a testimonio arcent.

Calixtus Pontifex<sup>b)</sup> familiares simpliciter testes suspectos dicit, et veritatem familiaritatis affectione impediri ait. Hoc Iubentissime concedo, nolo tamen ex eo inferri exclusionem amici omnimodam a testimonio.

Cum omnes a testimonio dicendo arecantur, ad quos ex causa controversa commodum vel incommodum redundare potest, nonne ex eadem ratione amici a testimonio erunt repellendi? Nemo quidem testis esse potest in propria causa, scilicet in ea, ex qua ipsi commodum vel incommodum imminet<sup>c)</sup>. Huius generis vero esse videtur testimonium amici, qui magis iusto favet ei, pro quo testimonium est dicendum, cum idem velle idemque nolle sit certissimum amici criterium. Sed, cum commodum aliquod vel incommodum accessorie et per consequentiam oritur ex causa, non repellitur ideo testis,

neque modicum interesse vel modica affectio illum excludit a testimonio. Fides eius propter hanc causam tantum minuti potest<sup>d</sup>).

Amicitiae atque inimicitiae par ratio esse videtur, cum ille, qui mihi est amicus, sit adversarii mei inimicus, de inimicitia vero minus dubium est; illam testem reddere non tantum suspectum, sed etiam, si itaud sit levis, illum a testimonio arcere. Ad hanc oppositionem id regero, non necessarium esse, ut amicus Caii sit inimicus Sempronii, quia hunc Caius odio prosequitur. Haud raro fieri solet, ut improbemus inimicitiam, quam amicus noster fovet erga tertium, adeoque amicitia cum eo, pro quo testimonium dicendum, non praecise odium alterius involvit. Praeterea affectus inimicitiae plerumque vehementius se exserit, quam affectio amicitiae. Inimicitia ultiorem spirat, neque ab honestate procedit, sicuti amicitia. Denique inimicitia tantum capitalis testem a testimonio dicendo arket. Ergo utriusque non semper eadem est ratio.

a) l. s. C. de testibus.

b) in can. 12. causa 3. quaest. 5

e) Haec definitio causa propriae desumta est ex l. r. q. II. D. quando appellandum sit: propriam causam ab alieno quemadmodum differimus et palam est, eam esse propriam causam, cuius emolummentum vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet.

d) MEVIUS P. II. Dec. VI.

## §. VIII.

ADVERSARIO EXCEPTIONEM NULAM CONTRA  
TESTEM AMICVM OPPONENTE ILLE  
POTEST ADMITTI.

Parti adversae ius competit contra personam testium exceptiones proponendi. Integrum itaque illi est, admissionem testis amici prolatam exceptione contra illum impugnare et offendere, ob quas causas testimonium eius frustraneum foret. Adversario autem hanc exceptionem siccō pede transeunte iudicis non est testem repellere a testimonio dicendo, sed admitti potest salvis exceptionibus contra eius dicta formandis. Consentient Statuta Norimbergensia<sup>a)</sup>), quae consensu adversarii fidem testis inhabilis firmari disponunt.

a) Ref. Nor. Tit. VII. leg. I. §. 8. Es würde dann durch den Gegentest gütlich nachgegeben.

QVANDO TESTIS AMICVS A TÉSTIMONIO  
MERITO REPELLATVR.

Ceterum negare nolo, testem amicum interdum recte repellere, neque ad testimonium admitti, si concurrat simul alias defectus notabilis, veluti si sit homo perfidae frontis et levissimae fidei, de quo plane desperandum est, illum veritatis vestigia presso pede esse fecuturum. Idem dicendum erit de teste corrupto datione vel promissione pecuniae aut alias lucri, quem leges expresse a testimonio arcent, si de corruptione ante admissionem constat<sup>a)</sup>. Hoc vero casu testis non repellitur ob amicitiam, nec haec sola eius fidei quid detrahitur,



tur, sed subest aliud vitium, quod fidem ipsi adhiberi prohibet, obstat enim ei, quod ob testimonium dicendum pecuniam acceperit. Fides testis non tantum minui, sed interdum plane tolli, atque ipse testis a testimonio dicendo excludi potest, si appareat, illum, qui altero tanquam teste vult uti, praesertim hac mente amicitiam cum teste futuro iniuisse, quo hic causae eius faveat et a dicenda veritate dimoveatur. Hoc casu corruptionis species adest, quae testem inhabilem reddit.

a) I. 2. §. 5. D. de testibus.

I. 17. C. de testibus.

c. I. 9. X. de testibus.

c. 10. X. de praesumt.

### §. X.

#### QVAENAM ET QVALIS AMICITIA TESTEM SVSPE- CTVM REDDERE POSSIT.

Quamvis itaque amicitia sola testem minime repellat, tamen inquirendum erit, quousque fidem eius minuat, illiusque testimonium suspectum reddat. Testis amicus non semper erit omni exceptione maior: potest tamen esse homo, cui fides non plane deneganda, et cuius dicta semiplenam efficiunt probationem. Amicitia diversos habet gradus usque ad specialem et vehementissimum quendam affectum. Non quaevis amicitia et communis illa caritatis familiaritas, quam homo homini debet natura, quae vero commendat unumquemque et ostendit bonum virum esse, detrahit fidei testimoniū, nec parit falsi testi-

testimonii suspicionem, sed requiritur arctius amicitiae vinculum, si testem suspectum reddere debeat. Haec autem, si quosdam iuris interpres <sup>a)</sup> sequi vellemus, tam immensa, vehemens, immoderata et ut ita dicam, capitalis esse debet, quanta fuit inter Theseum et Pirithoum, Pyladēm et Orestem, Damonem et Pythiam, decantatissima illa familiaritatis plane singularis et amicitiae rarissimae exempla, a nostris temporibus remotissima. Tantum amicitiae gradum non requiri ad suspicionem testimonii minus idonei procurandam mihi verius videtur: quanvis statuam, non quamlibet amicitiam et familiaritatem sufficere. Intima amicitia ex magnis et mutuis officiis, item ex assidua consuetudine vitae eaque voluntaria aetimanda est. Nam si qui munere publico aut alia necessitate vitae simul esse coguntur, haec consuetudo amicitiam intimam non arguit <sup>b)</sup>, sed non nisi vulgarem. Non dubium autem est, quin amicus summus et singularis omnes occasiones captet, quibus amici gratiam magis ac magis ineat, et caeco impetu ad deponendum falsum inducatur. Hanc sententiam tanquam opinionem communem in praxi forensi praevalere testimonis <sup>c)</sup>ctorum probatissimorum constat <sup>c)</sup>.

a) e.g. BACHOV ad Treutlerum Vol. II. Disp. V. Thes. VIII. lit. E.

b) DONELLVS in Comm. ad tit. XX. Lib. IV. C. de test. p. 200.

c) FARINACIVS de test. quaest. 55. n. 238.

MASCARDVS de prob. concl. 86. n. 8.

BACHOV ad Treutlerum Vol. II. Disp. V. thes. VIII. lit. F.

BRVNNEMANN ad 1.3. D. de testibus.

WERNHER Tom. III. P. II. obs. 292.

LEYSER Spec. 283. med. 24.



## §. XI.

DE ADMINICVLIS FIDEM VACILLANTEM TESTIS  
AMICI SVFFVLCIENTIBVS.

Quod si fides vacillat in aliquo, ita ut incurrat suspicione sublestae fidei, et non sit omni exceptione maior, huic tamen ex altera parte accedere potest adminiculum, quod eius fidem auget et suspicionem illam diluit. Testis alias suspectus admitti potest ad testimonium edendum, si praesumptio generalis in specie obvia elidatur per speciales praesumptions, in quibus asseverandis iudicis arbitrium versatur. Praesumptio autem specialis haec est, qua non nisi praesuppositis singularibus circumstantijs adeat, veluti si testis amicus sit persona integerrima et religiosa, de qua sperari potest iurisiurandi religionem tantam vim habituram in ipsa, ut a veritate dicenda nulla gratia vel amicitia dimoveatur, nec a recto tramite veritatis et sinceritatis, favore impio erga ullum hominem deflectatur.

Iuriurandum a teste praefundam suspicionem testimonii falsi in favorem amici dicendi elidere potest, praesertim cum in formula illius expressis verbis mentio fiat moniti, ne testis amicitiae vel inimicitiae erga litigantes aliquid tribuat. Si ponimus hominem probum, qui amicitiam iustam et honestam collit, cui sanctitas iurisiurandi curae cordique est, (neque ab alio iuriurandum esset exigendum), vix metuendum est, hunc amicitiae tantum esse daturum, ut iurisiurandi religionem spernat et testimonium edat falsum, ne amicus causa cadat. Exemplum

plum luculentum praebet PERICLES, qui amico roganti, ut pro se falsum dicere testimonium, cui adiunctum erat ius in-  
randum, respondit se quidem amicum esse, sed usque ad aram.

Inspectio ipsius depositionis iudicem etiam movere potest, ut fidem habeat testi amico, quando illa id continet, quod naturae negotii convenit, et quod gratiae suspicione aut ini-  
micitiae erga adversarium caret<sup>a)</sup>.

<sup>a)</sup> L. 21. §. 3. D. de testibus. Si testes omnes eiusdem honestatis et existima-  
tionis sint, et negotii qualitas ac iudicis motus cum his concurrit;  
sequenda sunt omnia testimonia. Si vero ex his quidam eorum aliud  
dixerint, licet impari numero, credendum est: sed quod naturae ne-  
gotii convenit, et quod iuimicitiae aut gratiae suspicione caret; confir-  
mabitque indec motum animi sui ex argumentis, et testimonialis, et  
quae rei aptiora, et vero proximiiora esse compererit, non enim ad  
multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testimoniorum fidem et  
testimonia, quibus potius lux veritatis adficit.

### §. XII.

FIDES TESTIS, QVI VTRIQUE LITIGANTI EST  
AMICVS, EST MINVS DVRIA.

Par affectio, sicuti par odium, erga utrumque litigantem  
testem neque repellere, neque fidem eius labefactare potest.  
Quod si unquam timendum esset, ut testis aliquid daret ami-  
citiae, hic metus utique tollitur, si ipsi cum utroque litigante  
nexus intercedit aequalis<sup>a)</sup>. Vbi discerni nequit, cui parti  
testis magis faveat, par adebet coniunctio, adeoque res in eum  
redit statum, ac si plane nulla adesset<sup>b)</sup>, cessat igitur omne  
odium praesumptum erga adversarium.

<sup>a)</sup> Par affectionis causa suspicionem fraudis amovet, I. 67. §. 1. D. de ritu nuptiarum.

<sup>b)</sup> MASCARDUS de prob. conc. 86. n. 7.

### C

### §. XIII.



## §. XIII.

SI VERITAS ALITER HABERI NON POTEST, TESTIS  
AMICVS NON EST REIICIENDVS.

Veritas aliter haberi non posse dicitur, si vel propter facti qualitatem, vel temporis, vel loci circumstantias, alii testes verisimiliter actui intervenire non potuerint<sup>a)</sup>. In applicanda hac exceptione tamen ita versandum est, ne omnes leges habitabilitatem testimoniū requirentes frustraneae reddantur, et inepta inde oriatur decisio; id quod fieret, si propterea quod alii testes non intervenerint, inhabilis esset admittendus<sup>b)</sup>. Hoc tamen casu testimonium non omni exceptione maius provenit, et potius admissio testis quam eius fides plena hac ex causa potest defendi.

a) Eandem exceptionem a regula statuit Reform. Nor. Tit. VH. l. i. §. 8.  
, oder das sonst nach erkanntnis des Gerichts an Zeugnus gepruch er-  
schine und andere Zeugen nit vorhanden wueren.,

b) REICHEL de genuina ratione arbitrii iudicis circa testimonia, maxime  
si veritas aliter haberi nequit.  
HOMMEL Rhapsod. obs. 210, reg. 9.

## §. XIV.

## DE TESTIBVS INSTRVMENTARIIS.

Non tantum testes iudiciales, qui ad dirimendam litem adhibentur, ob amicitiam solam fide non plane indigni sunt, sed et testes instrumentarii, qui in contractibus celebrandis vel ultimis voluntatibus condendis interveniunt, cum in posterioribus praescertim testes solennitatis causa requirantur, non probatio nis causa,

Lega-

Legatarius testis esse potest in testamento, quia ex hoc tantum indirecte lucrum sperat, sicut heres non reiicitur tanquam testis in codicillis<sup>2)</sup>, quamvis inter testatorem et heredem vel legatarium amicitiam intercedere, non negari potest, cum testator utrumque beneficio afficere cupiat. Sic illi etiam, qui amici contrahentium sunt, reputantur testes idonei et integrae fidei in contrafactu ineundo.

a) 1.20. D. qui testamenta facere possunt, cuis verba hae sunt: Qui testamento haeres instituitur, in eodem testamento testis esse non potest. Quod in legatario et in eo, qui tutor scriptus est, contra habetur; hi enim testes possunt adhiberi, si aliud eos nihil impedit: ut puta si impubes, si in potestate sit testatoris.

### §. XV.

QVIS PROBARE DEBEAT AMICITIAM, FIDEM TESTIS  
MIVENTEM, ET QVOMODO HAEC PROBATIO  
SIT PERFICIENDA.

Illi autem qui afferit, testem ob arctissimae amicitiae vinculum a testimonio omnino esse excludendum, et nullam ipsi fidem esse tribuendam, est probare qualitatem amicitiae, et demonstrare eiusmodi nexum inter testem et adversarium suum deprehendi, qui vetat inchoare spem veritatis eruendae<sup>3)</sup>. Nulla enim amicitia praesumitur, et quando adest, honesta esse censetur, donec probetur contrarium. Pro quolibet teste militat praesumtio, illum esse hominem integrum, scelerisque purum. Experientia teste edocemur haud infrequenter exceptiōnem hanc adhiberi vexandi adversarii causa, et hoc sine ut eius probatio firmissima irrita reddatur. Iudici vero competit

de



de effectibus huius vinculi cognoscere, et iudicare, an illud fidei testis aliquid detrahatur, vel illam plane tollat. Quod si testis interrogatus de amicitia<sup>b)</sup> respondeat simpliciter, se esse amicum, ex hoc non patet talis amicitia, quae ipsum plane repellat a testimonio dicendo. Accedit, quod affectio erga personam interdum separari possit a singulari affectione erga causam, quae ad testem excludendum facere potest.

- a) Liquidas probationes ad testem repellendum exigit 1.17. C. de testibus,  
 b) Ad id comparatum est interrogatorium generale, quo testis exploratur: an  
 alterutri litigantium prae altero faveat: ob er einem Theil günstiger seye  
 als dem andern.




**ULB Halle**  
003 331 415

3



TA-OC





1790, 1  
DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
TESTIBVS AMICIS  
QVAM  
CONSENSV ET AVCTORATATE  
MAGNIFICI IVRISCONSVLTORVM ORDINIS  
PRO SVMMIS IN IVRE HONORIBVS  
LEGITIME OBTINENDIS  
DIE XXI JANUARI CCCCCLXXX  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBIICIT  
IOANNES CHRISTIANVS BENIAMIN  
KVNZE  
EX REGIONE VARISCVRVM  
ALTORFII  
TYPIS IOANNIS PAVLLI MEYERI  
ACADEMIAE TYPOGRAPHI

24

257

